



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. III LITTERAE APOSTOLICAE **QUANDOQUIDEM USU** SANCTUS AMBROSIUS
EPISCOPUS ET ECCLESIAE DOCTOR CONFIRMATUR
CAELESTIS PATRONUS SINGULARIS APUD TERRENUM GALLORUM EXERCITUM
MANIPULI NEGOTIIS ADMINISTRATIONIS IPSIUS PROCURANDIS Ad perpetuam rei memoriam. – Quandoquidem
usu iam diu intra Gallicum exercitum venerat ut singulae fere manus gravioribus sane cum muneribus singulos ab
Ecclesiae Matre sortirentur caelites patronos quorum exemplis nimirum instituerentur precibusque coram Deo fusis valide
sustinerentur, idcirco recens conflato eiusdem exercitus ordine peculiari rebus administrandis placuit spiritualibus ibidem
moderatoribus ut huic pariter magni ponderis cohorti suus sine mora destinaretur rite Patronus. Per opportunum itaque
consilio Venerabilis Frater Gabriel Vanel, Episcopus titulo Rotensis necnon Vicarius Castrensis in Gallia, vota colligens
simil sua simul sodalium ipsorum novi illius partitionis legitime approbavit Sanctum Ambrosium episcopum
Mediolanensem ac Doctorem Ecclesiae veluti specialem eorum Patronum, quippe qui per diligentem episcopalium officii
curatione suo tempore eminuisse eximiaque gerendarum ubique causarum facultate praestitisset. Proinde vero
secundum liturgicas normas ab hac petivit Apostolica Sede ut idem edictum ac decretum lege sanciretur. Nos vicissim
certo iam quasi providentes quot sint ex hac nominatione fluxura emolumenta spiritualia in omnes quorum intersit, de
sententia Sacrae Congregationis pro Sacramentis et Cultu Divino harum Litterarum vi perpetuumque in modum Sanctum
Ambrosium episcopum et Ecclesiae doctorem confirmamus ac renuntiamus caelestem Patronum singularis apud
terrenum Gallorum exercitum manipuli negotiis administrationis ipsius procurandis, adiectis una universis honoribus
congruisque liturgicis privilegiis. Contraris quibusvis haud obstantibus. Quae dum statuimus, volumus hasce ipsas
Litteras religiose servari suosque effectus tam nunc quam in posterum habere tempus. *Datum Romae, apud Sanctum*
Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVIII mensis Februarii anno Domini MCMLXXXI Pontificatus Nostri
tertio. AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1981 - Libreria Editrice Vaticana